

APÉNDICES AL TOMO II

APÉNDICE PRIMERO

CARTA DE JUAN DE VERGARA Á ERASMO

«*Jo. Vergara Theolog. Desid. Erasmo Roterodamo suo. S. P.*

»Ego vero Alfonso isti Vmetano, quem nec de facie aut nomine quidem tum noram, cum mihi littere tue reddeite sunt, maximam habeo gratiam: Iubensque illi, si detur, benefaxim, qui mihi tam longam tamque luculentam epistolam ab Erasmo meo lucrifecerit: cuiusmodi non vel fidiculis extorturum sperassem ab homine, humanissimo quidem sed grauioribus occupato. Nam preter breuissimum epistolium ad me ante aliquot annos Basilea datum, nihil abs te litterarum post digressum a vobis meum acceperam. Sed nec ipse interim ad te scripsi, e media videlicet studiorum tranquillitate ad turbulentos hosce vite aulice discursus, nescio quo fato auocatus: vbi me quartum iam annum publica priuataque negotia perinde ac Pentheum Baeche diuersum distrahunt: ita vt nec studiorum nec studiosorum meminisse admodum liceat, et si quando licet, ita me tamen ἄλλας pudeat ac pigeat: vt prudens tuam tuique similitum consuetudinem vel per litteras defugiam. Interea tamen intellexi in tuis ad amicos litteris salutem adscripsisse te mihi diligenter, hoc est Guilielmo Vergare: Hoc enim imprimis mihi boni omnis loco accepto, quod Guilielmum me facis ex Ioanne, cuiusmodi nomen audio tibi semper in amicitii auspicate cuiuspiam resere instar cessisse. Verum vt ad te non scripserim, mi Erasmi, de te certe scripsi saepe, locutus sum semper: nec destiti apud Principes viros, apud doctos, apud omnium hominum ordines declamatorem agere laudum tuarum: Quin et vbi occasio incidit (incidit autem frequentius quam vellem) nominis dignitatisque tue non omnino ignauium propugnatores. Sed vt ad epistolam tuam redcam, vt illa me plurimum, quod a te esset, delectauit, ita vix dicere queam, quam me sollicitum habuerit libelli istius mentio, suasu (vt ais, meo) ab Vmetano¹ conscripti, qui nec schedam eiusmodi ad eum diem legissem, nec autorem ipsum oculis, sed nec auribus quidem vsurpasssem, nec alioqui is sim: qui aliis ad te προσηκουσως scribendi autor esse velim. Neque enim tam de facilitate mea humiliter, aut de facilitate tua prae sentio: vt si maxime commodum visum esset te rei cuiuspiam admonere, non ad id fuissem mei ipsius po-

¹ Alfonso de Olmedo es Alfonso de Virués.

tius quam precaria, aut (quod videri certe posset) conducticia opera vsurus. Itaque aliquando mecum ipse addubitauit, num ea epistola ad me destinata esset: an (quod nonnunquam vsu venit) fuisset exteriori inscriptione peccatum: prorsusque in ea fuisset opinio: ne mihi extrema epistole verba fidem fecissent ad me datam. Quare vbi diu coniecturam meam frustra torquere: nec hominis eiusmodi in mentem venit: coepi de doctis amicis, qui Caesaris aulam sectantur, diligenter sciscitari, ac obvium etiam quemque rogitare: eorum Alfosum nosset Vmetanum Monachum non ineruditum: Nam id modo licebat ex litteris tuis coniectare. Nemo erat, qui hominem eo nomine noscicaret. Ibi tum ego aliquanto commotior, quod tam diutinam operam Osiri meo inclamando luderem: statui etiam cum absentibus agere per epistolas. Interea mecum ipse (ita vt fit, cum quid animum male habet) aliud ex alio suspicans stomachabar. Hem (inquam) seculi mores, hem astum maleuolorum: quoniam vident me Erasmo vehementius studere, quam illis commodum, atque bonum sit rationem inuenire, qua me cum illo committant: et ad id nunc affectant viam, vt me suspitione indignissima onerent, quasi Momos illi submittam, qui in eius scriptis sychophantiam exercent; sed blandos et officiosos quod ea officia soleant plerumque in atrocissimas tragedias exire. Cum ita animi penderem, litterae tandem mihi Granate tum agentis a Bernardino Touare fratre meo (quem ipse per epistolam ea de re consulueram) Compluto afferuntur, nuntiantes: Alfosum istum Monachum esse Benedictinum, Burgis agere solitum (quae vrbs itinere quadridui Compluto distat, commertis mercatorum apud Belgas vestros insignis) virum probum, Theologum minime vulgarem, ad hec nominis tui apprimè studiosum, qui Enchiridion tuum publice in sua ciuitate prelegens, ac frequentibus ad populum concionibus honorificam tui mentionem faciens, offensiones non leues ea causa subierit: ac in turbas tumultusque incidit quam grauissimos. Ei Alfonso ineunde tecum amicitie studio flagrantis suasisse aliquando se: ne contaretur, quesita de litteris denique publicis id temporis rerum motibus occasione ad te scribere: facile abs te virum doctum in gratiam admissum iri: Caeterum de scriptorum censura nihil quicquam sibi in mentem venisse: sed nec libellum quidem ipsum videre adhuc contigisse: Prologi tantum et Epilogi paulo ante sibi copiam factam: idque fragmentum ad me missit: In eo epilogo cum salutem ex me tibi ab homine ignoto dictam, illud item de suasu ambigue scriptum animaduertentem: statui ea de re, cum auctore ipso per litteras exposulare: adiuncta etiam tua ad me epistola. Tandem littere mihi ab eo, alieque item ad te scripte redduntur: quibus ille factum modeste refert: eas simul cum epistola ad ipsum mea ad te mittere visum est. Interim ipse multorum sermone ac literis intelligo hominem quidem esse tui vsque ad inuidiam etiam percupidum: qui tibi aduersos Erasmo mastigas quosdam in scripta tua superioribus diebus scientes, strenuam operam nauarit: denique qui absque villo fuce in omnibus de dignitate doctrinaque tua contentionibus; singularis cuiusdam erga te fidei et studii specimen dederit, atque etiam nunc det non obscurum. Ea res tum quod me falsa suspitione liberarit, tum etiam causa tua mire accidit mihi iucunda. Misere enim tibi ab vmeis Vmetani istius virgisi timere coeperam: ne ex Erasmo repente nobis fieres Vlmiriba Plautinus: Quodque me maxime vrebant, tam seculi lictoris ego appellabar Magistratus: cuius videlicet imperio ille in te fasces expediret. Nunc tantum abest vt ab illo tibi sinistri quippiam timendum sit: vt contra sibi ipse maxime timeat ab

emulis tuis. Quod si quedam fortasse in libello (quem hactenus quidem suppressum existimo), licentius odiosiusque dicta offendent: tamen condones equum est, magnis alioqui hominis erga te meritis: cupiens etenim (vt existimo) te studiaque tua sine exceptione laudari, prouintiam eam cepit tui offitio admonendi: Caeterum cepti semel operis calore incitatus precepsque calami cursus sisti alicubi non potuit: quin nonnihil fortasse efunderet subausterulum: quod tamen tu pro singulari tua prudentia et animi moderatione aequi bonique facias oportet. Facies vero quod te decet, si ad virum grauem et doctum tuique amantissimum comiter scripseris et humane. Hac enim potissimum ratione efficies: vt et ille in celebrandis hactenus scriptis tuis minime male locatam operam existimet: et in tuendis (vbi vsus sit) eam indies adhibeat alacriorem. Atque de his quidem vel nimis multa. Nunc quae apud nos gerantur cognosce. Bellum tibi Erasme aperte iam indictum est a Monachis nostris et quidem inexpiable. Dederant iam diu obscuras quasdam odii significationes: Musabant in angulis suspectum esse Erasmum Lutheranae impietatis. Deinde in popularibus concionibus scripta tua obliquis morsibus appetebant: quidam etiam confidentiores apertis. Vbi minus apud homines promouerent ausi etiam sunt nonnulli publicum negotium priuati iuris facere: atque vsurpata sibi censura libros tuos ex officinis atque vniuersa rep. nouo quodam Ostracismi genere exigere. Verum hec hominum intemperies partim auctoritate Magistratum, qui tumultuantes, pro potestate seuerè et grauitè cohibebant: partim bonorum tuique studiosorum fauore, si non sanari, certe mitigari posse videbantur. Sed ecce tibi enim interim, dum deferbuisse calorem illum putarem: Enchiridion tuum Hispana lingua loquens repente in medium prosternium prosiliens turbulentissimam *traxan* fabule nostrae inuexit. Continuo clamare coeperunt pulpita, fora, templa, Basilicae (nam nusquam non acclamatores huiusmodi disponebantur) Erasmus hereticum, blasphemum, impium, sacrilegum. Quid multa? Plures subito tibi ex vulgata libri interpretatione quam ex dentium semente Cadmo hostes coorti: sed ex hoc modo hominum genere: Nam ex reliquis omnibus nullus liber vberiore tibi uspiam prouentum attulit. Igitur quotidie ad Magistratus, qui inquirendis impietatibus presunt, noui concitatorum ea causa tumultuum rumores perferebantur. Quibus illi sedandis cum adhibita assidua opera vix proficerent: quin vno suppresso, grauior subinde alius exoriretur: risum tandem est de rei summa alioquendo decernere. Habitus est igitur circiter Kalendas Martias ea de re frequens senatus presidente amplissimo patre D. Alfonso Manrico Archiepiscopo Hispanensi viro integerrimo, ac tum natalibus, tum proprie virtutis fulgore, clarissimo. Ibi ex auctoritate patrum acciti et plerisque familiis Monachi primi nominis grauitè increpiti esse dicuntur: quod semel atque iterum edicto prohibiti, ne Erasmus apud populum seditiose incesserent, neue hominis doctrinam hereseos insinularent: tamen illi ceptam semel licentiam vrgentes, non cessarent virum doctum grauissimis, atque honorificentissimis apostolice sedis elogiis ornatum, quotidie pro suggestis lacerare, et passim apud vulgus reum agere impietatis, tanta animi contentione, vt iam nemini fidem facerent studio pietatis adduci, sed odio et luore stimulari. Proinde hortari se, atque pro potestate etiam imperare: quiescerent dein atque a consiliis et maledicendi rabie temperarent: si quid in Erasmi scriptis erratum esset aut percipitum, eius rei iudicium ad eos non pertinere: Tantum illa, quae eiusmodi viderentur, diligenter annotata ad eum

modi conuentibus abhorreo, vbi cum sententiarum numero potius quam pondere res agatur, tamen postea iniqui decreti inuidia ad omnes ex equo pertinet: Vt vt res cadat, extabit proculdubio in summis alioqui meis occupationibus studium in te meum. Nec vero tibi indignum videgi debet, si apud nos scripta tua in tam publicam censuram vocentur. Non potuerunt (mihi crede) emulorum tuorum ora libros tuos quotidie incredibili contentione ad flammam depossentium, consilio aptiori compesci, nec ratio vlla excogitari commodior, qua oblocutorum improbitas toties frustra cohiberi tentata semel aliquando infringere- tur. Tametsi vero de te nulla esse possit apud Prouintiales iudices nostros legitima forma iudicii, tamen cum de permittendis virandisue tuis in Hispania libris esse liceat, facile (opinor) patieris in illorum causa patrocinium tuum rogari, potius quam in illos (quod alibi tentatum ferunt) te inconsulto seuiri. Monachorum libellum intelligo tibi amicorum opera et quidem geminato exemplo curari, cum suspitio est magna ex parte in Leica officina conflatum. Tu vide num illi confestim respondendum, an Theologorum de illo iudicium expectandum existimes. Vtrumuis decreueris: facies pro certa tua prudentia, si quam modestissime in te hac defensione gesseris: Ita enim et causam tuam melius tueberis: et conceptam de te vti de homine christiane pietatis atque mansuetudinis aemulatore opinionem vel maxime confirmaris. Nosti morum nostrorum seueritatem, male apud exteros audimus quasi immodici grauitatis affectatores. Proinde gratiosissimam scito hominibus nostris futuram defensionem, que moderatissima simul fuerit atque grauissima. Alioqui denuncio tibi ex optima causa nobis reddideris pessimam, nominique adeo tuo minus bene consulueris. Est enim apud omnes de secundo iudicii huius euentu spes quam certissima. Nam Magistratibus quidem vteris equissimis, Pontifice Hispanensi, et grauissimo Patrum Inquisitorum Senatu, viris integris atque prudentibus: quos scimus cum dignitatis tue, tum quietis publice rationem summa cura habituros. Preterquam enim quod de te vti de homine orthodoxo ac vere pio sentiunt, Pontificum oraculis, quibus tu ornatus es, plurimum deferunt, eoque nullum decretum auctoritatem de rei summa prescribi patientur, Romano Pontifice inconsulto. Ad hec Caesar dignitati tue vere ex animo fauet: Excepit sunt humanissimi Principis de hac tua causa voces amplissimae. Fauent item principes ac boni omnes. Quod si alieni patrocinii industriam iudices admitterent: non deessent etiam qui summa fide atque officio causam pro te dicerent: Vsque adeo ceptum hoc de te iudicium hominum studia (quod vehementer alioqui timendum fuerat) non modo non extinxit, sed ardentius quidem inflamauit. Proinde iam nunc bono animo si licet, Erasme: illustrabit (spero) nominis tui celebratam tam vehemens hic de te tumultus. Tantum tu vide (repetam enim iterum), ne ex christiana te moderatione atque sinceritate vlla hominum iniuria deturbare videatur: ne quicquam tibi sit (id quo facis) vera pietate antiquus, ita enim fiet, vt tibi diuinitus humanitasque auxilia suppetant quam firmissima. Nunc autor tibi sim, vt Pontificis maximi gratiam modis omnibus retinendam cures, eiusque et amplissimi Collegii fauori intes et incumbas: atque (quod pro auctoritate, qua Romae polles facillimum factu fuerit) iutaris: Vt elogium in libros tuos omnes Catalogo comprehensum exeat a sede apostolica cum honorifica illorum doctrineque tue commendatione. Nulla quippe alia ratione magis istorum peruectiam retuderis: quam si intellexerint non posse dignitatem tuam, illesa pontificia auctoritate oppugnari. Equidem cum firmissima

praesidia, quibus contra aduersariorum violentiam stare potes, principum gratiam, bonorum fauorem, imprimis vero egregiam istam doctrinam et inuictam eloquentiam considero: tum plenus bonae spei cristas surrigo, atque hortari te etiam ad certamen gestio. Rursum cum bellum tibi, tuisque perpetuum suscipi in mentem venit, redintegrandis sufficiensque in dies, in annos, in secula, recentium subinde hostium myriadibus, qui te sublato commodissimam quamque occasionem vel sui fauoris vel principum soordie vel temporum turbulente sint obseruaturi, quo memorie tue insidentur: tum vero mihi pro charissimis pignoribus, id est monumentis tuis timere subit: illisque quavis ratione (modo honesta) consultum iri cuperem. Et enim vt opulento patri familias non satis est, si suis, familieque rationibus in vitam modo consulat, nisi domum interim ita constabliat, vt suum sibi decorem in posterum liberi posterique retineant: ita te quoque non liberorum sed librorum atque eorum quidem liberrimorum parentem porro etiam cavere decet, vt ne quid te vita functo illis accidere possit infausti, certe ne semper vel in periculo vel in metu versari cogantur. Atque hic me fortasse (id quod opor) frustra trepidum facit ingens quidam meus ac pene dixerim immodiicus memorie te amor: Tamen cum tibi ab istis viuenti atque sentienti validissimis preterea praesidiis amicitisque subnixo tam molestum tamque diuturnum negotium vbique facessi videamus: queso quid tum demum cum res illis cum vmbra fuerit, futurum ominabimur. Edidere olim alii libros, nouis (vt tum tempus erat) et inauditis dogmatibus referros, verum illorum auctores cum sese in vnum quodpiam ex istis sodalitis inseruissent, facile assecras in suum nomen iuratos phalangerunt, qui se pro suis ducibus quotidie deuonentes totas aduersariorum relianges sustinent, et consertis semel manibus nullum pugnandi finem faciunt. Inde nobis Capreoli Clipea, defensoria, Elucidatoria, et mille id genus subsidia quibus freti eiusdem secte homines (nam reliqui facile stationem deserunt) pro leuissimo nonnunquam placito tanquam pro totius religionis summa dimitentes, eo tandem contentionem deducunt, vt cum semper rixentur, tamen neutri alteris vnquam cessuri videantur: nec interim factio factioni audeat hereses crimen intendere. At cui aduersus vniuersam istorum remp. bellum suscipitur: is cum instructam conluratorum manum (eiusmodi istis semper vel *ἀναρ* in armis excubat) perpetuo alere nequeat: qui tandem hostium impressionem sustinere, illorumque violentiam par esse poterit. Ne aliquando demum hostis eclesie pro scriptis longum illorum ornet triumphum: presertim cum non de secundis intentionibus, aut conceptibus obiectionalibus, controuersia est, sed importunae *τῆς γαστρός* vires ferociam quamdam hominibus addunt inuictam. Nam quid esse cause putemus, quod Benedictinos, Bernarditas, Cistercienses, Hieronimianos minus habes tibi iniquos, quam quod homines *κίτταρις* non omnino ex aliena liberalitate pendentes: ita sese aduersus casus eiusmodi comparasse videntur: vt (quod cochleis vsu venit) rorem quidem expectent semper: Caeterum is si non cadat, tamen illi intra testulam latitantes suo sibi succo viuant. At vero qui tanquam mures (vt ille apud Comicum iactat) semper edunt alienum cibum, si persuasiones illas vulgi tollas, vnde illis mensa ponitur: quid reliqui est, nisi vt fame familia pereat? Id isti priusquam serio experiantur: iam nunc incipiunt, sue quisque effo timentes (more canum) inter mandandum ringere. Atque ego quidem sat scio animum tibi nusquam minus quam in illorum patinis esse: tamen isti vt popularium animos paulatim a se ablic-

nari intelligunt, quod aliis forsitan de causis vsuuenit, id tibi vni imputant. Nutriunt vero hominum furorem licentiosi quidam et procaeces qui perfectis minimo alloqui opere pretio libris tuis: si quid in istos liberius dictum inueniunt: id vnum meminere: eoque homines salsi et faceti tibi tandem vtuntur pro cauillo vbi maxime doleat: autore interim inuidiosissime citato: quem dum inepte et contentiose defendunt, in inuidiam grauiorem adducunt. Horum tu culpam cum prestare minime possis: tamen illi dolore percusi, tibi vni contumeliam suam referentes acceptam, hostili te statim et gladiatorio animo adoriuntur, adeo quidem vt iam illis Erasmi nomen nefastum sit et ominosum. Nuper quidem egregia doctrina et morum grauitate vir cum in solemnibus supplicationis pompa animaduertisset duas Monachorum classes de priori loco certantes: ita vt populi quieti obstreperent, indignandus ad illos: Quiescite (inquit), quiescite, malus vos Erasmus perdat. Quieuerunt continuo, nec mutire quidem ausi, adeo iam illis ERASMVVS idem est quod pueris *Μορμολο*. Eiusmodi tum seriis, tum iocis quotidie irritati, memores se (quod Plautinus puer aiebat) opera quidem serua, sed lingua esse libera, non cessant apud principum coetus, apud pullatorum greges, apud muliercularum conuentiula, apud omnes denique in secretis quoque confessionibus, conitiis et maledictis dolorem vleisci suum: dignitatemque tuam tum per cuculicos et strophas, tum aperte et pro palam oppugnare. Eam tu hostium manum tam validam, tam coniuatam, tam odii prosequentem cum vi coercere non possis, expende nunc prouocare consultum sit. Nam vt hic quidem furor in presens (id quod spero) reprimatur: tamen vt in perpetuum comprimi queat: id vero (deus faxit inane metum) vereri me plane confirmo. Nec vero dum hec refero, existimes me aut metum aut diffidentiam in consilium adhibere. Notius omnibus est meum in te studium, quam vt in me istec possit cadere suspitio. Habes tu quidem ex nostris permultos et doctrina et fortuna prestantes tui cupidissimos: tamen adhuc nemo extitit qui me fidci et officio erga te precucurrerit. Nec enim vlla vnaquam occasio a me premissa est, vel celebrandi nominis tui tuendeque dignitatis: vel conciliandae tibi colligendaeque vndique honorum beneuolentiae: vt in his quidem contentionibus mea cause tue propugnatio propter perspicuum meum in te animum studii nomen apud istos inuenerit, potius quam iudicii. Quo mihi magis licere visum est animi mei sententiam tibi fusius explicare: Sed ita vt auctoritatem tuam plurimi semper sim facturus, queque tibi placere intellexero ea optime esse sperem feliciterque cucinire optem. Rmus. D. Alfonsus Fonseca Archiepiscopus Toletanus Princeps meus mirus ingeniorum tum explorator, tum fauor laudi tue vnice fauet: ac de causa hac tua Caesarem non semel adiuit. Is mihi plurimum debere se putat, quod predicatione mea in librorum tuorum lectionem incidit: ego vicissim eadem causa tibi permultum, quod ea occasione amplissimo patrono vtar perquam familiariter. Nunquam enim illi a summis occupationibus tantillum temporis vacuum datur, quin illud euoluendis tuis me Adagnotice collocet. Is nunc ad breue tuum epistolium rescribit: sed ex sua auctoritate tibi a me scribi voluit: si forte de hac tua contentione in rem presentem venire, aut alloqui nobilissime provincie visende Caesaris salutandi causa in Hispaniam peregrinari libeat, numeraturum se tibi Quadringentos aureos ducatos annuos, daturumque operam, vt pensio tibi Caesarea ex esse persoluatur. Quod si in Academia Complutensi (quod oppidum ipsius ditioni subest) immorari aliquandiu libeat, additurum domum honestissimam

frumentique quantum familie satis sit. Caeterum ad sacerdotium spes non est quod hominem te a prima aetate ab eiusmodi ambitu abhorrentem nunc deum velut Catonem ad floralia vocemus. Tamen a Pontifice omnium, secundum Romanum, amplissimo ac opulentissimo liceret vberium beneuolentiae fructum breui percipere: videtur autem omnino Pontificum Toletanorum fauor tibi propemodum hereditarius. Nam Rmus. Cardinalis Franciscus Ximenez Academic Complutensis fundator, vir summa fortuna parique animi magnitudine, mirum quanti te fecerit, quamque ardentem consuetudine tua frui exoptarit. Deinde Croius noster altissime indolis et maxime spei adolescens preceptoris te, immo parentis loco suspiciebat. Nunc Alfonsus vtroque non inferior neutri in ea contentione cedit, vir summo loco natus, egregiis animi dotibus praeditus, ad hec in bonarum litterarum studia natura propensus: vt hunc animum non ceco studio ortum sed certissimo iudicio susceptum intelligas: Construit nunc duo studiorum collegia. Alterum Compostelle, vbi pontificatum diu gesserat. Alterum Salmantice solo ipsius natali: in quorum vtroque liberales solennesque discipline, in primis vero humanitatis studia colantur. Speramus etiam Complutensem Academiam non minoribus aliquando ornamentis ab illo illustratam iri. Proinde oblatam ab humanissimo Principe conditionem, si forte vel etatis vel valetudinis impedimento accipere non liceat: tamen crit humanitatis tue plurimi facere, vt a tali animo profectam. Atque vtiua tibi Dius dux liceret minimo negotio omnes profligare. Sed video, res est grauior, quam vt sit mea adhortatio quippiam momenti in alterutra partem alatura. Habes igitur vt ad causam tuam redeam, Principem meum tui fauentissimum, habes multos preterea summa fortuna viros, Mercurius Coronello viro eximia doctrina atque auctoritate plurimum debes. Sanctium Carranzam spero Theologorum conuentui ad Ascensionis Dominice etiam affuturum: cum ego inter tuos vel imprimis numero. Mirum quam accurate priorem illam offensionuculam sarciat, dum de te vbique nulla non occasione omnia bona predicat, vt tu etiam quid a te amicitia prestillabat, sartam tectam exhibere tenearis. Guido Morillonus nullum officium pretermittit hominis diligentissimi tuique amantissimi: at vero ex Monachis nonnullos etiam reperias bene natos, quibus pietas plus est quam factio. Hi tibi aperte student: inter quos vel imprimis Alfonsum Vinctanum reponas licet. Alii item non pauci nisi pro desertoribus suis plecti timentur, studia sua in te proferrent. Complutenses plerique omnes animo erga te sunt beneuolus atque amicus: nisi forte vnus aut alter, quibus alibi rancida iam olim doctrina imbutis veteres auias nunquam de pulmone reuellas: amant vulgo bonas litteras, easque grauioribus disciplinis adiungunt: vt non facile alibi repernas studiosorum conuentum minus pertinaciter publicas studiorum sordes tuentem. Etenim noua Academia hac temporum luce instituta nullis adhuc malarum litterarum veteratoribus (quod alibi frequens est) tirannidem occupantibus facile optima queque perspicit illisque inter vulgaria alioqui et solida studia locum relinquit honestissimum. Ibi Franciscus Vergara frater meus,

adolescens egregie eruditus, olim meus in graecis rudimentis discipulus, nunc magister, graecas litteras multa cum laude proficitur; eius ad te graecam epistolam iam diu ab illo scriptam huic adiunxi: cui tu si rescribere aliquid dignaberis, feceris vtrique nostrum rem gratissimam. Agit simul Bernardinus Tovarís frater item illo natu maior, vir doctus et imprimis pius, qui mecum etiam charitatis tui certat: is semper tuis legendis vsque adeo pertinaciter incumbit, tuendis inuigilat: vt id sibi muneris videatur peculiariter delegisse. Itaque habes triumviratum praedicandis laudibus tuis veluti iustus committis creatum: nec minus quidem tecum amoris quam inter se sanguinis glutino copulatum: Cuius opera si minus tibi vsus sit, animum certe non est quod contemnas. Vale. Vallisoleti vij Kalendas Maias. M.D.xx.vij¹.

APÉNDICE II

CARTA DE JUAN DIAZ AL CARDENAL DU-BELLAY SOBRE EL COLÓQUIO DE RATISBONA

«S. P. Calendis Februarii scripsi ad te, Praesul clarissime, statum colloqui Ratisbonensis, ac una cum litteris misi articulos de quibus sunt utrinque collocuturi, ordinem illorum, et quae futura sit ratio in hoc colloquio, deque inveniendi aliqua pace et concordia in his de religione controversiis, nimirum ut, expensa Augustana confessione XXX anno Imperatori exhibita, inter colloquentes agatur, quid in ea recipiendum quidve rejiciendum eis videatur, ut relatio fiat Caesari et Statibus. Scripsi etiam, octiduum fuisse in statuendis notariis qui omnia fideliter exciperent, Catholicis negantibus oportere omnia scribi, sicut lucem subterfugientibus, Protestantibus urgentibus, in tam gravi causa, et secundum veteris Ecclesiae ritum et aliorum comitorum formam, et ne quaevis effugiendi ansa detur, sed ex animo et praemeditate omnia secundum magnitudinem causae dicantur, propter has inquam et alias rationes justissimas necessarium esse, notarios adhiberi. Tandem tertia Februarii decrevere praesides, usque ad Caesaris rescriptum, cui in istis et in aliis dispositionem omnem reservant, haec esse observanda. Primum praesides ad colloqui acta ipsorum nomine conscribenda unum notarium, et alium notarium ipsi notario assistentem, qui cum opus fuerit vices ejus gerat, constituent, toleraturos, quod auditores et collocutores tam C. M. quam Augustanae confessionis, utraque pars similiter duos, unum notarium, alterum assistentem, adhibeant. Volunt etiam praesides, quod, quicumque notario assistens sit, tantum advertat et nihil interim scribat. Secundo: post finitum quolibet die colloquium scripta notarium in praesentia omnium legantur et conferantur, atque tum² in arcam certam tribus seris munitam, ac tribus clavibus simul aperiendam, quarum unam domini praesidentes, alteram auditores et collocutores C. M., tertiam Augus-

1 Biblioteca de la Real Academia de la Historia. Papeles varios, procedentes de los Colegios de la Compañía de Jesús, tomo CIV (procedente de Sevilla), est. 13, grada 4.^a Parece el borrador de mano de Vergara.

2 En el original manuscrito dice: *dam*.

tanae confessionis habeant, includantur, et arca ista in loco ubi colloquium habetur permaneat. Tertio: si alterutri parti scriptorum inspectione opus sit, hoc illi domini praesides permittent, ut tamen id ipsis vel aliquo eorum nomine et altera parte praesentibus fiat et nihil inde describatur. Haec est Catholicorum prudentia, ne dicam morositas, quam omnes magna ex parte gravitati et auctoritati magistri nostri Malvendae adscribunt; omnia pro sua sapientia et scientia moderari volentis. Quinta die ejusdem (nam quarta quieti seu potius arcae parandae concessa fuit) serio, Dei gratia, inceptum fuit colloquium. Praefatus est aliquantum Episcopus, praeses primus, exhortatusque omnes est, ut in hoc tam gravissimo de religione colloquio et gloriam Dei imprimis, tum⁴ Ecclesiae pacem et concordiam quaerent, et⁵ pacifice et moderate, non ex contentione, agerent, et inciperent et ad finem usque colloquium⁶ perducerent. Postea Malvenda, primus a C. M. collocutor ordinatus, inceptit de justificatione agere, praemissa oratione elaborata, in qua inter alia multa egit: in hoc colloquio, ac hujusmodi de religione controversiis standum⁴ scripturae sacrae auctoritati, patrum orthodoxorum scriptis, et Ecclesiae consuetudini, protestatusque est Sorbonico more duo. Unum: quod in hoc colloquio nihil essent dicturi aut in medium producturi nisi quod esset sacris litteris, traditionibus Ecclesiasticis et communibus Ecclesiae canonibus consonum, et, si quid per imprudenciam inter loquendum excideret⁸ vellent pro non dicto haberi. Secundoque: omnia quae in hoc colloquio allaturi aut concessuri essent, vellent id esse duntaxat amicam collationem et quae neminem ligent, non pro definitione, receptione, aut determinatione haberi, quae C. M. reservata volunt. Post haec ut dixi inceptit de justificatione agere, et primum de nomine et causa ipsius, de veteri culpa, et ad id multa scripturae testimonia, sed eorum more inversa, adduxit, et illa omnia in septem propositiones Sorbonico more distinxit. Illo die a prandio consularunt Protestantes ut sequenti die Bucerus ad omnia responderet. Qui, praemissa (6 die Februarii) pia praecatione et actioni accomodatissima, et protestatione quam misi pridem, ad singula tum⁶ ipsius dicta seu propositiones respondit, ita tamen ut⁷ urgeret, agendi⁸ ordinem, a C. M. praescriptum, ante omnia servandum. Contendunt etiam, si modo obtinere poterint, ut de justificatione articulus hic olim conciliatus pro conciliato habeatur⁹. Haec de colloquio.

»Primum hic praeses, Eicstatis Episcopus, antequam initium colloquio daretur, invitavit ad prandium Protestantes, et quia inter se colloquium eruditum et a causa religionis non alienum habuerunt, Bucerus, qua valet memoria et ingenio, mox ac domum rediit, litteris dedit ac conscripsit, quae¹⁰ una cum his litteris ad te mitto. Spero enim tibi gratum futurum et Christianissimo Regi

1 En el original manuscrito dice: *dam*.

2 *Ibid.*: et *deest* pacifice.

3 *Ibid.*: *colloqui*.

4 *Ibid.*: *statum*.

5 *Ibid.*: *exciteret*.

6 *Ibid.*: *dam*.

7 *Ibid.*: *vel*.

8 *Ibid.*: *agend*.

9 *Ibid.*: *habetat*. *Ses* habebatur scriptum est in Diazii epistola eodem die ad Calvium data, quam ex Reussii apographo conferre mihi licuit. *Ibi* enim eadem narrat, et saepe iisdem verbis quibus in hac epistola usus est.

10 *Ibid.*: *quas*.

